UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Prooemivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46059

Visual Library

DE CHRISTIANA LIBERTATE

LIBER DECIMVS QVARTVS.

PROOEMIVM.

VIsvm fuit & alterius cuiuſdam libelli breuem confutationem adiungere, non propter argumenti modò ſimilitudinem, verùm etiam vt poſteritati teſtatum eſſet, quanto ſtudio, quantaque copia argumentorum efflagitata hæc fuerit in religione libertas, ſub ſpecioſiſſimo blandiſſimoque titulo Chriſtianæ libertatis. Et hoc quidem quicquid eſt libelli euulgatum aliquando fuit, typíſque commiſſum, ſed cùm ita eſſet diſtractum, vt eius non facilè recens, hiſce in locis reperiretur exemplar, valdeque ad hanc acceſſiunculam faciendam inuitaret plenior quædam argumenti ſuſcepti tractatio: paucis mutatis, nonnullíſque detractis, quæ illi propriè tempori ſeruiebant, rurſus hîc inſerendum eſſe putauimus. In quo propoſita Libertini cuiuſdam clari inter ſuos argumenta, quamquam eodem ferè quò ſuperiora reuoluantur, habent tamen proprij quiddam, quod alio dictionis filo, magíſque populari ratione tractetur atque diluatur.